

1692.

1^{er} Coccifex, Henricus : De adusta, Heer - Henne - Ausegall.
Fahrthöring. 25 Sept. 1692 - 1748.

2^{er} Coccifex, Henricus : De us et differentia hibernis
prochionum et stipulationum 25 Sept. 1692 - 1747

3^{er} Coccifex, Henricus : De diversitate resistentis ^{ut}
^{ex quo effectus} vocant et recessoriis justiciis 25 Sept.

4. Fuchsius, Ioh. Henricus : De impugnatione testimen-
ti frakerni, per querelam inaffiosi.


5^{er} Schultz, Petrus : De concursu dictorum 25 Sept. 1692
- 1748

6. Schalze, Petrus : De subtilitatibus juris utriusque.

7. Vehrs, Henricus : De medicamentis sanguinum
purificantibus.

101

Wort - und - zell. Wörter sind ja jetzt
1871 1881 wohl ja nicht
nur auf die ersten zwei Jahrzehnte beschränkt
1881 1891 wohl darüber hinaus
die nächsten Jahrzehnt : nicht so viel
Stilezioni
Schriftsteller können ja nur
nicht ausdrücken. Sie nicht. das nicht ?
Vorstellbar wäre es ja nicht ?
es soll nicht ausdrücken : nicht, nicht
oder es kann nicht ausdrücken : nicht, nicht ?
ausdrücken ist nicht : nicht, nicht ?
Stilezioni



127

2

440

462

1692, 16

2

DISSERTATIO JURIS FEUDALIS,
De
A D O H A,

**Heer-Steuer/Reise-Yeld/
Fahrtlösung/**

Quam

DIVINA FAVENTE GRATIA,

P R Ä S I D E

V I R O

Magnifico, Prenobilissimo, Consultissimo atq. Excellentissimo

DN. HENRICO COCCEJO,

JCTO FAMIGERATISSIMO,
Serenissimi ac Potentiss. Electoris Brandenb. Consiliario,
Facultatis Juridicæ Ordinario, & Professore Primario,

Antea Summi Regiminis Electoralis Palatini Consiliario, & Su-
premi Collegii Revisorii Assessore in Alma Heidelb. Decretal. Pandectar.
& Juris Gentium Prof. P. Ordinario meritisimo,


IN AUDITORIO JCTORUM

Ad d. Martii, A. MDCXCII.

Placido Eruditorum Examini submittet

PHILIPP. ERNEST. DE BECKER,
Minda Westphalus, A. & R.

Francofurti ad Viadrum, An. 1699.



PRÆFATIO.

Ilit illa semper Longobardo-
rum Germaniae Gentis (qvi-
pe quam suis jam temporibus
inter Svecorum Gentes recen-
set Tacius de Mor. Germ. c.
40.) generosa ac magnanima.
indoles, ut non tantum hostes suos armis forti-
ter aggrederentur, feliciterque profligarent, sed
etiam subactis iis leges sanctissimas & ad rem-
publicam suam suam bene gubernandam salu-
berrimas conderent & promulgarent. Bellorum
& Victoriarum eiusdem gentis satis præclara
exstant monumenta apud Kipping. Histor. uni-
vers. L. 8. c. 3. passim & alios Legum vero qvan-
tam illicuram habuerint, præter insignia illa spe-
cimina, quæ Lindenbrogius cum aliis legibus an-
tiquis edidit, ostendit quoque vetustissimum
illud volumen juris feudalis, quod per totam
Germaniam & fere Europam usu est receptum.
Licet autem, quæ ista tempora obfederat ver-
borum barbaries, in has optimas quoque mate-
rias

rias effusa fuerit; plurima tamen ingeniose inventa, accurate elaborata, prudenterq; statuta sunt; quin inventa ratio est ipsis Romanis incognita, quâ summe quoq; regalesq; potestates, salvâ Imperii Majestate, aliis per modum feudalem communicari possunt. Rerum verò tanta libertas, ut vix qvicquam in materia feudali occurrere possit, quin ejus inde decisio peti derivariq; queat. Quid verò rationibus reipublicæ convenientius videri potest, quam mutua illa inter dominum & vasallum obligatio; cùm dominus suo beneficio generosas & preclare meritas familias in perpetuum ad fidelitatem obstrictas teneat, h&e verò eodem & splendorem suum retinant & ad paranda nova decora excitentur? Quae & causa est, cur materia hæc tam diligenter à Doctoribus Jurium Feudalium tractata, totq; vigiliis ab iisdem elaborata fuerit. Cum igitur hujus materie non minima pars sit ea, quæ de Adoha tractat, eam pro disputatione & exercitio Academico pertractandam & paulo accuratiū examinandam elegimus. quod D^Eus Ter O.M. bene & feliciter mihi succedere jubeat.



CAPUT I De Voce ADOHAE.

SUMMARIA

1. *Descriptio vocis Adohæ.* 2. *An differat ab Adjutorio?* 3. *Quo-*
modo differat ab hostenditiis? 4. *Respondetur ad 2. F. 40.*
5. *Quomodo à Superindicto.* 6. *Definitio Adohæ.*

§. I.

 Ox ADOHÆ, quam barbaram & latinis
inuisitatem esse cuivis obvium est, originem
suam à Siculis potissimum Doctoribus tra-
xit, & ab aliis ADOHAMENTUM, ab aliis, Re-
demtio hostenditarum appellatur, dicique po-
test Germ. *Heersteuer / Reisegeld / Fahrtlösung / Lehnz-*
dienste-*Tar.* Andr. de Isern. c. un. §. Si mulier. vers. in re-
gno de Capit. Corrad. Descendere eam putant à verbo
ADUNARE, quod scilicet plures Vasalli, forte non in-
tegrum feudum tenentes, se adunent & contribuant
tantum, quantum ad unum militum fistendum suffi-
cit: Andr. de Isern. in c. un. §. ille tamen vers erat in
curia de Contr. feud. apud par. term. Id. c. un. §. Si mulier lit.
S. de Capit. Corrad. Alii ab ADÆRARE hoc nomen deri-
vant, dicique ita existimant, quod tantum æris con-
tribuant Vasalli, quantum ad fistendum instruendum
que militem sufficit.

§. II.

Hæc ADOHA differt ab adjutorio, quod vocant,
ut species à suo genere; nam hoc non tantum ADO-
HAM, quæ & ipsa adjutorium quoddam est, 2. Feud. 40.
vers. similiter. sed omnia auxilia, sive ex lege fœderis,

A 3

sive

DISPUTATIO JURIDICA

sive ultro & amicitiae gratia, sive quacunque alia ex causa mittuntur, comprehendit, Matth. de Afflict. §. *Si militer n. 15. de Capit.*, Corrad. ADOHAM autem est illa pars fructuum feudi, quam solvunt Vasalli loco servitorum. Ayell. *de Jur. Adob.* n. 53. vid. infr. §. 6.

§. III.

Difserit quoque ab HOSTENDITIIS, utpote quæ propriè sunt ipsa servitia militaria, quæ præstare tenentur vasalli Principi in hostem eunti. Plerique verò HOSTENDITIAS, idem quod Adoham esse existimant, Guidel. *de Jur. Feud.* p. 4 c. 6. n. 4. Bitsch. *Comm. feud. lib. 2. tit. 40. Not. 5.* Struv. *Syntagma. Jur. Feud.* cap. II. apb. 5. n. 4. qui vocem hostenditiarum pro ipso pretio servitiorum capiunt, per d. text. in 2. F. 40. vers. simiter. Neque negamus, hostenditias aliquando accipi pro earum aestimatione; uti voce operarum continetur pecunia pro operis debita. I. 6. ff. *de Oper. lib.* in primis cum de earum actione seu petitione agitur. I. 4. ff. *eod.* actione enim sunt opera & servitia ipsa, et si aestimatio aliquando in præstatione sit. At in proprio & genuino sensu hostenditias ipsa servitia esse, vel ex origine earum patet. Non enim ab hoste id est inimico dicitur, ut putant. Guidel. d. p. 4. c. 6. n. 4. aliisque. Sed ab hoste seu Hoste/ quod expeditionem, castra, vel exercitum veteri sermone Teutonico significat,; quemadmodum frequens hic sensus est in antiquis Germaniae legibus, Visigothicis, Salicis, Ripuariis Saxonis, Longobardicis; item in Capitularibus Caroli M. passim; quæ loca collegit Lindenbrog. in *Glossar.* voce *Hostis*, unde Gallicum, Host, quod exercitum notat. quem & Itali *HOSTE*, & Hispani *LA HUESTE*, & Angli

DE ADOHA.

7

Angli AN HOSTE dicunt. Atque hic sensus clarissime apparet ex 2. F. 40. ubi dicitur quod vasalli, qui non eunt cum rege in expeditionem, debeant dimidium fructuum ejus anni solvere, Quo HOSTEM FACIUNT, id est EXPEDITIONEM: idemque habetur in 1. F. 7. Sed & frequens apud veteres formula est: IN HOSTEM PERGERE d. c. 40. IN HOSTE HOMICIDIUM FACERE, &c. Hinc verissime Hostenditiae, quasi Hostendienste / expeditio seu militaria servitia uti Frondienste / Herrendienste / &c. dictuntur. Freher. ad Constit. Carol. III. ad voc. pro stipendio. Quicquid dissentiant Knichen. de Subl. terr. jur. c. 3. n. 385. &c. Gothofr. Anton. disp. feud. 7. tb. 6. c.

§. IV.

Nec movet textus in d. c. 40. vers. Similiter: ubi ex saniore lectione definiuntur hostenditiae id, quod praestant, qui cum domino in hostem non eunt; Non enim ibi definiuntur hostenditiae in genere, sed tantum explicatur, quid Conradus Imp. in Constitutione sua, qua certam quantitatem hostenditarum definit, ea voce intellexerit; scilicet in illo loco dici hostenditias illud adjutorium, quod vasalli in pecunia praestant; quia de eo definiendo agebatur; uti de operarum aestimatione modo dictum est.

§. V.

Aliud quoque ac Adoha est HERIBANNUM, Heerbann / id est, citatio ad DELECTUM, der Aufboth. Accipitur tamen etiam pro cena non comparentis; quam HERISCHULDAM, Heerschult dici ait Cujac. ad §. 1. Feud. in Prefat. alias Herischiß. Vox vero Heerschild / longe aliud, & scil. insignia dignitatum feudalium significat, quorum septem recensentur in Spec. Svec. Lib. I. cap. von den

DISPUTATIO JURIDICA

8 den Heerschiltten. 7. Sed & differentiam porro statuunt peregrini Dd. inter Adoham & Superindictum, quod iis est quædam sublevatio quæ contingit in casu, si castrū aliquod focalariis (ut vocant) quibusdam destituatur, & hinc reddatur incapax ad solvendam integrum portionem Adohæ, quippe tunc castrum hoc ab eo one-re pro parte sublevatur, & pars illa castris vicinis im-ponitur. Matth. de Afflict. l. 2. rubr. 10. n. 28. quis dicatur Dux. Sed id parūm ex usu nostro.

§. VI.

His in antecessum remotis, facilis est definitio ADOHÆ, quæ est portio fructuum feudi seu eorum æstimatio, quæ loco servitiorum feudalium domino feudi præstanta est. Ayell. d. l. n. 53. Jacob. de Franc. de Feud. n. 11. & n. 19. Dixi; Loco SERVITIORUM FEUDALIUM ne confundatur cum RELEVIO, quippe quo etiam portio fructuum vel eorum æstimatio aut pecunia præsta-tur, sed id non persolvitur loco servitiorum feudaliū verū pro renovatione investituræ; nec præstatur, nisi mortuo demum vasallo ab ejus herede. Ayell. d. l. num. 70.

CAPUT II. De Quantitate Adohæ

SUMMARIA.

1. 2. 3. 4. Varia Adobe Quantitas. 5. Novissime constitutus est se-mis fructuum unius anni. 6. An perpetuò, an quando ille se-mis obtineat? 7. Cujus anni fructus intelligantur? 8. Accu-rata proportio & computatio Adobe ex Jure Comm. ad legiti-mum usurarum modum; ubi exponitur l. 3. §. fin. ad L. Fal-cid. &c. 9. Probatur porrò ea computatio ex legibus imperii:

8

DE ADOHA.

9

*Et removentur dubia; ac singularia quedam notantur. 10.
Computatio vulgarior, sed incertior. 11. In Saxonia & Mar-
chia que obtineat servitiorum computatio; Et an per eam
sublatas sit estimatio juris communis? 12. Separantur tres di-
stincte in hac re questio[n]es. 13. An dominus augere Adoham
aut minuere possit? 14. An diminuatur Adoha propter vitam
& militiae feudo annexa; ubide expeditione Romana & con-
tributione ad bellum Turicum.*

§. I.

Nihil æquè varium fuit ac Adohæ determina-
tio cùm locis tum temporibus. Quam ac-
curatè in regno Siciliæ & Neapolitano non
modò ipsius Adohæ quantitas pro modo terrarum ea-
rumque reddituum, sed & portio illa, quam conficien-
dæ huic quantitati vasalli pro numero larium, seu, ut
vocant, foculariorum, aut, ut alii adhuc insolentiūs,
focagiorum, item civitates contribuunt, pleniū de-
scribit Regiæ Cameræ Neapolitanæ olim Præses Ja-
cobus de Ayello, *Traict. de Adohan.* 52. Sed parùm ad u-
sum nostrum. Idequidem indubium est, si in literis
investituræ, vel in concessione feudi certa quantitas
expressa, eam servandam esse; Idemque est si con-
suetudo quantitatem determinaverit, quæ vim con-
ventionis habet, *i.e.* *ff. de Legib.*

§. II.

At id dubium est, si neque lege feudi, neq; con-
suetudine loci certa quantitas Adohæ definita est, qua-
liter æstimanda illa sit? Et quidem constitutione Ca-
roli III. ut creditur, alternative totius anni fructus,
vel aliqua portio monetæ in singulos mansos in Ado-
ham præstanta erat: Ita enim decernit: *Illi vero tales*

B

rema-

remanere cupientes, si apud Dominos impetrare valeant, quot mansos possideant --- monete, vel totum fructum feudi in illo anno pro stipendio persolvant: Gold. tom. I. Conſtit. ad ann. 881. Freher. in Comment. ad d. Conſtit. Quantitatem monetæ obliteravit vetustas, eamque lacunam supplere varie satagunt, sed nullā certā ratione: decimum, utiq; pondus intelligi hīc non posse conſtat, cūm non posſint comparari totius anni reditus & decima ejus portio ut, eorundem servitiorum precium.

§. III.

At Conrado (ut vulgo legitur, etſi Hotom Lothario, Cujacius Friderico I. ea capita tribuant) gravissimum viſum fuit, vasallū toto anno alimentis & fructibus privari, eoq; pro totius anni fructibus tertiam eorum partem substituit in Alemannia; in Lombardia autem 12. denarios in singulos modios imposuit: 2. F. 40. pr. Quæ tamen differentia tantum ad expeditiōnem Romanam pertinet, cuius onus Germanis multo gravius est, ob Alpium itinerisque difficultatem, quam Lombardis seu Italīs, atque idēo pluris à Conrado æſtimatur.

§. IV.

Sed nec ea definitio obtinuit aut ſaltem diurna fuit; Vetus enim Auctor Tract. de Benef. §. 13. decima parte fructuum iter redimi ſolere refert: ibunt, inquiens, illuc & alii omnes imperialia beneficia habentes, quisque cum Domino ſuo, niſi talento decimo iter redimat, quod annuatim à Domino ſuo habuerat. ap. Freher. ad d. Conſtit. verb. moneta. Quod iisdem verbis conſtitutum quoque eſt in Spec. Sver. l. 2. c. 8. §. 7. Und wollen ſie blyben / ſo müssen ſie ſich do von kauffen / mit dem ze- henden

DE ADOHA.

II

henden Pfund / was das Gut ein Jahr gilt / &c. Idem
habetur in Jure feud. Saxon. cap. 6. §. 1. ibi: Oder muss
die Fahrt l̄sen mit dem zehgenden Pfund, &c.

§. V.

Denique constitutione Friderici I. Imp. quæ ha-
betur in 2 F. 55. §. firmiter. & apud Radev. de Ges̄t. Frid. I.
lib. 2. c. 7. decisum est; ut promiscue tum in Lombardia-
cum in Alemannia Vasalli, qui Dominum non comitantur, di-
midiam partem fructuum unius anni Adohæ nomine persol-
vant, sublata distinctione locorum, cum possit vasal-
lus ipsum servitium præstanto evitare constitutionem.
arg. l. i. § fin. Ne vis fiat ei. Et hunc ferè semissim fru-
ctuum observari in regno Siciliæ patet ex Ayell. d. l.
At verò idem Fridericus I. in proximè præcedente
constitutione, 2. F. 54. fanciverat, ut is, qui dominum non
comitatur, præset stipendia militiae pro quantitate feudi.
Quæ definitio ab altera longè recedit, tum quia non
semper stipendia militiae semissim fructuum æquant,
tum, quia ex priore constitutione semper eadem est
quantitas Adohæ, sc. semis fructuum unius anni, ex
altera autem maximè variat; cum alia militia aliā sum-
tuosior, longior, seu difficilior sit.

§. VI

Hinc igitur omnino statuendum videtur, semis-
sem fructuum non esse certam & pérpetuam Adohæ
æstimationem; Sed, si dominus servitium militare
sibi præstari velit, non satisfacere vasallum, nisi inte-
gra militiae stipendia persolvat; Certi enim juris est,
eum, qui rem debitam non præstat, minimum ve-
ram ejus æstimationem, sæpe etiam amplius & omne-

B 2

id

DISSERTATIO JURIDICA

id, quod interest, nunquam autem minus solvere debere. *I. 8. I. 5. §. fin. ff. de In lit. jur. arg. I. ult. C. de Fid. lib. 1. pen. ff. de Cond. Irit.* Semis itaq; fructuum non ideo statutus est, ut dominus debitibus servitiis fraudaretur, si majora stipendia docere possit; sed in subsidium, cùm stipendi quantitas forte non constat, nec ostendi possit, ne dominus oneraretur necessitate probandi quantitatem stipendiorum, & quod sua interest servitium ipsum præstari; ut in dubio pretium servitii determinaret.

§. VII.

His igitur casibus, quibus semis fructuum præstatur, quæri solet, cuius anni fructus intelligatur? Alii enim intelligunt semissim ejus anni, quo in hostem ducitur; Matth. de Afflict. §. ut autem equitas. n. 10. de Pac. jur. firm. per Conf. Carol. III. §. 2. & per 2. F. 40. verb. Illius anni quo hostem faciunt. Verùm cùm redditus annorum valde varient, nimis inæqualis foret ea æstimatio; quin, si forte eo anno labes, vel vis hostium &c. omnem fructum tulisset, nihil deberet vassalus. Reætius igitur Dd. comm. semissim fructuum unius anni in genere intelligunt; per 2. F. 55. §. firmiter. veluti in textibus, quibus decima pars definitur, annus in genere nominatur, non ille quo expeditio fit. *supr. Tb. 4.* Nec obstant textus oppositi; tum quia illi mutati sunt per *Text. in 2. F. 55. §. firmiter.* tum quia illius anni redditus is esse intelligitur, qui ex collecto pluriū annorum redditu & in æquales partes diviso ita conficitur, ut mox dicetur.

§. VIII.

Ouomodo ergo definietur anni in genere fructus?

Etus? Id accurata juris ratione fieri potest ad modum legitimarum usurarum. Dicimus igitur, ex lege Imperii computatis 20. annorum fructibus confici verum prædii premium, & hujus ex tot annorum fructibus collecti precii vigesimā partem esse fructum unius anni, cuius semis Adoham constituit. Ratio hæc est: quæ est ratio legitimæ usuræ annuæ ad totam sortem, eadem est anni fructus ad totum premium fundi; quia uti annua pensio æstimat & metitur valorem sortis; ita annuus fructus prædii valorem totius prædii. Uti ergo lege Imperii legitimæ usuræ sunt quincunces; *vid. th. seq.* quæ vicesimo anno sortem æquant, & vicesima pars sortis sunt, atq; adeò collectis viginti annorum usuris vera sors cōstituitur; ita collectis ē fundo 20. annorum fructibus verum fundi premium; hujus precii vicesima pars est verus fructus ejus annuus, cuius semis Adohā efficit. Hac ratione utitur JCtus in l. 3. §. fin ff. ad L. Falc. Species hæc est; legati sunt reip. anni fructus prædii Sejani; heres ex hoc legato Falcidiam detrahet; quæritur quodnam sit verum hujus legati afiui preciū? Respondeatur, premium fructuum tot annorum, quot sufficiunt sorti ex usuris legitimis, quæ in hac specie sunt trientes, conficiendæ. Verba d. l. 3. §. fin. hæc sunt: *Si Reip. in annos singulos legatum sit, cum de lege Falcidia queratur, Marcellus putat, tantum videri legatum, quantum sufficiat sorti ad usuras trientes ejus summa, quæ legata est, colligendas.* Sed cur ad trientes usuras? Resp. Cūm quincunces & trientes in provinciistum solitæ essent, l. 7. §. 10. in fin. ff. de Adm. tut. trientes seu leviores potius hic acceptæ sunt, in favorem heredis, & ex præsumpta mente testatoris, qui heredi potius quam Legata-

gatario prospicere videtur, l. 67. § 8. ff. de Legat. 2. ut maiorem quantitatem Falcidæ nomine detrahere poscit: nam si V. G. 20. annua legata sint, computatis usuris trientibus sors erit 500, & hæres detrahet nomine Falcidæ 125? computatis quincuncibus, sors erit 400, & heres detrahet tantum 100. Favore igitur heredis trientes computantur in d. l. 3. §. fin. Idemque contingit, et si legatum annum piæ causæ relictum æstimetur, Nov. 131. cap. 12. ibi: vendere, si voluerint, bujusmodi legatum, & non minus pro precio percipere, quam ex tali legato intra 25. annos (quo tempore trientes usuræ sortem æquant) colligitur.

§. IX.

Hic favor, & hæc ratio in aliis cùm cesset, regulariter æstimatione rerum fit ad modum quincuncium; quæ sunt vicesima pars sortis, & ex 20. annorum collectione sortem vel premium verum rei conficiunt; cuius precii vicesima pars est fructus unius anni, juxta 2. F. 55. §. 1. & ejus dimidium Adoha. Hæc ratio etiam in ecclesiasticis rebus obtinet, & hæc æstimatione rerum subtilis dicitur in Nov. 7. c. 3. §. 1. in fin. in verbis: *Æstimari, suburbanum subtiliter, & reputari in precio collecto redditus possibles in 20. annis* (quo tempore quincunces usuræ sortem faciunt) *computati & in redditibus ex hoc computatis agi Emphyteusin, &c.* Nec obstat, quod semisses, non quicunxes, usuræ definitæ sint in L. 26. §. 1. C. de usur. Ibi enim tantum quæritur, quoisque stipulari usuras licitum, non quæ intelligi debeat quantitas, si promisso non sint. Sed nec moyet l. 68. in fin. pr. ff. ad L. Falc. Ibi enim non quæritur de vero precio rei, sed quoisque intelligendum sit usumfructuum reip. relictum

Cum durare. Atque hanc rationem & computacionem Adohæ expressa constitutio quoque imperii in æstimandis subsidia omnium imperii civium ad expeditionem Turcicam probat & sequitur in R. I. Spirens. 1542. §. 54. ibi: So sollen und wollen Sie ihre Anlagen nach ihrem jährlichen Einkommen / an Gulden und Zinsen / neben ihren andern Gütern / Baarschafften und Vorraht rechnen / anschlagen und entrichten / NB also / daß 1000. gl. jährlichs Einkommens / auf 2000. gl. Haupt-guts und Wehrts gerechnet werde : Quæ est computatio precii ad modum quincuncium usurarum quippe quæ in Imperii lege receptæ & constitutæ sunt ; R. I. 1654. §. 174. Ord. Pol. 1577. tit. 17. & viginti annorum redditu sortem efficiunt. Specialistimum verò est, quod Ecclesiæ Hierosolymitane predia 50. annorum : Nov. 120. cap. 9. pr. contra, quos donator promisit, 15 tantum annorum redditu æstimentur : 135. §. 3. C. de Donat. illud maximum preium est, favore & ob conditionē ejus Ecclesiæ; hoc minimum favore donatoris.

§. X.

Cum verò hæc computatio non minus operosa, quam accurata, & saepius res tanti non sit, ut tanta cum difficultate exquiratur verum ejus premium, vulgo trium annorum colligi tantum redditus solent, & tertia pars redditus unius anni intelligi, ad cuius semissem vasallus obligetur. Ayell. d. tr. n. 52. in fin. Verum, cum tertio quoq; anno terræ cessare soleant, atq; adeo biennii tantum fructus reverā tum computentur, quo tempore casus aliquis extraordinarius facile durare potest; hinc nimis adhuc incerta hæc æstimatio est, & ab ea, qua illius anni fructus veniunt, quo expeditio

tio fit, parum & vix distat. Hinc alibi vulgo novem anni colligi solent, ut nona pars habeatur pro unius anni reditu: alibi 10 vel 12, anni. Koppen. *Ques. ill. 44. n. 31.* Certius & accuratius vero est jus commune.

S. XI.

An autem in Saxonia & Marchia iste semis frumentum unius anni sublatus, & in aliam estimationem mutatus est? Neg. Evidem in Saxonia onus feudale unius equi estimatur 1000 florenis: Schult. in *Addit. ad Coler. dec. 82.* Gothof. Anton. *disput. feud. 7. lib. 7. in fin.* Knichen. *de Paet. vestit. p. 2. cap. 5. circa fin.* Dn. Struv. *Syn. tagm. Feud. c. XI. aph. 5. n. 12.* Wehner. *Obs. pract. vol. Ritterdienste / §. Jure Saxonico:* in Marchia vero 1000. Joachimicis seu Imperialibus. Pruckman. *Vol. 1. Cons. 50. n. 503. & 504.* Kohl. *Tract. de Serv. milit. c. 6. n. 61.* Frid. Müller. *Pract. rer. for. resol. 72. n. 25. 26.* Verum hi 1000. aurei vel imperiales non sunt Adoha, seu estimatione unius servitii militaris, quod uno equo fit, quippe quod non valeat 1000. Imperiales, nec vasallus, qui servire ipse non potest, pro uno equo 1000. Imperiales solvit; sed ea quantitas est estimatione totius sortis, seu oneris praestandi ex feudo unius equi in genere; neque ideo fit, ut scaturit quantum Vasallus pro quoque servitio solvere debeat; sed quantum vendita terrae feudali integro & justo eius pretio decedat, & ab emperore detrahi possit: scilicet si terrae justum pretium sit 3000. Imperialium, propter hoc onus feudale eiinhærens ea non valebit nisi 2000. Ex eo vero statui certò nequit, quantum Vasallus pro unoquoque servitio solvere debeat; non enim ex modo usurarum id definiri potest, ut Vasallus solvat unus anni usuram legitimam, quia servitium hoc non est annua

annua præstatio, sed aliquando sæpius in eodem anno præstatur, aliquando ne semel quidem in pluribus: & cum usuræ legitimæ ex forte 1000. Imperialium tantum debeantur pro usu annuo illius sortis, eumq; metantur & æstimantur, non possunt eadem æstimare & metiri servitia, quæ per annos non præstantur, sed prout casus ac necessitas incidit. Accedit quod annui servitii equestris in Marchia longè alia sit æstimatione, sc. 150. Imperialium, ut refert Koppen, *Illustr. qv. 44. n. 13.* Superest igitur, si alia in specie moribus loci quantitas pro servitio feudali definita non sit, ut juris communis æstimatione servetur, & sc. vel stipendia militiæ solvantur, vel in dictis casibus semis fructuum unius anni, prout in th. 5. id expositum definitumque fuit.

§. XII.

Ut igitur distinctè res intelligatur, separandæ sunt tres in hac materia quæstiones, (1.) Quot equis ex quovis feudo serviendum: Ob das Lehn mit 1. 2. 3. oder mehr Pferden zu vermannen oder zu verdienen? Resp. Si determinata sunt servitia in investitura, res plana est: si indeterminata, arbitrio boni viri pro modo feudi definienda sunt, imprimis ex consuetudine loci, si de ea constet. Rosenth. *Synops. feud. cap. 8. concl. 22. n. 4.5.* Quin aliquando concurrunt plura feuda ad unum equum instruendum, & quisque solvit ein halbes Ritter-Pferd, ein Drittelp. &c. prout definitum. (2.) Quantu totum hoc onus feudo inherens sit æstimandum eo vendito? Resp. Computari mille aureos in Saxonia & tot imperiales in Marchia, in singulos equos, qui debentur, & tantum detrahi feudi integrò pretio. *th. u.* (3) Quantu æstimetur unum servitium, si ejus loco pecunia seu Adoha solven-
da

C

da sit? Resp. Cum hoc determinatum singulariter, moribus nostris non sit, servandum esse ius commune, & semissim fructuum unius anni, vel stipendia militiae solvenda, esse, juxta tib. s. donec aliud moribus vel statutis loci inductum appareat. Et ea quæstio huc pertinet.

§. XIII.

An autem hæc adohæ quantitas augetur aucto feudo? Aff. et si feudum industriæ vasalli auctum fuerit, est enim hæc quantitas medietas fructuum, uti diximus, que proinde augetur, si aucto feudo fructus quoque augentur. Nec movet quòd hoc fiat per industriam vasalli, eoque ipsi cedere debeat. Ponimus enim augmentum, non quod vasalli personæ, sed quod feudo accedit; uti regulariter incrementa feudi vasallus, non pleno dominio, sed jure feudi obtinet, 2. F. 4. §. pen. Illud igitur tenet tanquam partem beneficii, pro quo servitia præstare tenetur licet titulo oneroso comparaverit, vel impensas fecerit: has tamen prout alias juris in feudis esse solet, repetit, 2. F. 28. §. pen. Quin ad domini commodum promovendum semper laborare, & proprietatem colere tenetur vasallus Vultej. *de Feud. L. 1. c. 10. n. 34.* Unde omnino verior quoque est Kohlili *de Serv. feud. p. 4. n. 177. & seqq.* sententia, aucto feudo ipsa quoque servitia indistinctè augeri; cum alias iniquum foret, aliam & majorem Adoham præstari iisdem manentibus servitiis, æstimationemque servitorum majorem exigi, servitorum quantitate non mutata. Accedit, quod servitia naturaliter debeantur, pro quantitate feudi, 2. F. 54. verb. *pro quantitate feudi.* Ergo eâ auctâ augebitur obligatio servitorum. Uti & e contrario minuitur Adohæ ac servitorum quantitas,

si feudum sine culpa vasalli diminutum fuerit. 2. F. 77.
 Quid enim naturali æquitati magis convenit, quam
 eum qui adversâ fortunâ parte comodi spoliat⁹ est, par-
 te quoque oneris sublevari, maximè cum onus hoc ex
 commmodo resultet. Intelligimus verò incrementum
 & decrementum notabile, cum fidelitas & servitia feu-
 dalia non habeant tam certam æstimationem, ut quæ-
 libet mutatio quasi certa mercede mensurari possit.
 Dissent. Dn. Struv. Syntag. Feud. c. n. apb. s. n. 7. 8. 9. 10. n.
 Ayell. d. tr. n. 55.

§. XIV.

Quæritur porrò, si forte uno eodemque anno
 evenerit casus, quo & solvendum relevium in casum
 prædefuncti parentis, & præstandum Adohamentum
 in casum imminentis periculi, an utrumq; onus præ-
 standum à Vasallo? Negat id Ayell. d. tr. n. 77. sed alte-
 rutrum, quod curia ut pinguis elegerit, deberi vult; ne
 duplicitate gravetur vasallus, sed habeat unde vivat.
 Verum de jure contraria sententia prior est, nisi aliud
 in specie moribus receptum sit: cum enim distinctissi-
 mæ prestationes sint Adohæ & relevii, & ex diver-
 sissima causa debeantur, altera pro servitiis, altera pro
 renovatione investituræ, certi juris alterum per alte-
 rum non consumi, nec ideo debitorem ab uno debito
 liberari, quia & aliud debet. arg. 1. 2. pr. ff. de Priv. det. 1.
 130. ff. de Reg. Jur. Atque hinc falsum quoque est, quod,
 si eodem anno pater præmortuus jam solverit Ado-
 ham, illa post mortem patris in relevium à succedente
 filio præstandum computari debeat. Multò minus
 dominus pro lubitu debitam Adohæ quantitatem au-
 gere potest in præjudicium vasalli; uti hic nihil agere
 potest

poteſt in præjudicium domini. Matth. de Afflīct. L. 3.
rubr. 12. §. ex eadem lege n. 6. de Cap. Corrad. Minuere
verò, quin remittere hunc quantitatē in ſui preju-
dicium poteſt, quia prodeſſe vasallo poteſt, non noce-
re: quemadmodum Adoham regni Siciliæ minuiffe
Papam refert Ayell. d. Tract. n. 18. 19.

§. XV.

Sed quæritur, An diminuatur Adoha, ſi Feudo
onera cohæreant? Diftingv. inter onera, quæ cau-
ſam ab ipsa proprietate habent, eique coherent, uti,
ſi collectæ superiori, ſolarium alii debeantur; & ea_,
quæ ex ſola persona Vasalli debentur, uti portio fru-
ctuum ex feudo provenientium, quæ ſolvitur fratri-
bus minoribus ad vitam & militiam. Illa precium to-
tius feudi, atque adeo etiam ſervitia, quæ pro quanti-
tate feudi debentur, & horum itaq; æſtimationem ſeu
Adoham quoq; minuunt: nam cum Adoha fit pars fru-
ctuum feudi, non poſſunt illi intelligi, niſi deducto one-
re feudo cohæreſte. / ſi. pr. Fam. erc. l. 38. §. f. Her. pet. Hæc
verò minuunt eam Matth. de Afflīct. Dec. Neap. 252. Ayell.
d. l. n. 91. quia ea non feudi, ſed vasalli onera ſunt, & hu-
juſ personæ, non rei cohæreſte. Sed alia quæſtio eſt;
An fratres minores teneantur pro rata fructuum pri-
mogenito contriбуere in Adoham? Quod videtur,
quia ſentit pro parte commodum: & porro Adoha
eſt medietas fructuum, ideoque ex toto fructu præ-
ſtanda. Matth. de Afflīct. L. 3. rub. 32. §. præterea num.
18. de Prob. feud. alien. per Feder. Sed rectius contra-
rium defendit Ayell. d. l. n. 93. Ut enim ſolus pri-
mogenitus eſt Vasallus ac de feudo investitus, ſolus
que ſervitia debet, ita & ſolus Adoham. Cæterum
de

DE ADOHA.

23

de quantitate expeditionis Romanæ vid. Limn. de Ju-
re Publ. L. 4. c. 7. §. 67. & seqq. Ea olim instituta est, ut
Rex Romanorum à Pontifice coronam susciperet;
quæ dicta est; die Römische Kaiserliche Krohne. Ma-
gnif. Dn. Praes in Colleg. Jur. publ. c. 6. §. 2. Cum verò
supervacua illa sit, & una inaugratio, in Germania
facta, sufficiat, hodie cessat; & tamen Rex electus in
Germania est verus Imperator Romanus. Prae laud. Ma-
gnif. Dn. Praes d. c. 6. §. 4. Ex hujus tamen modo
definiri hodie solent collectæ ad bellum Turcicum die
Türken-steuer / & alia subsidia, Schutz. de Jur. publ. vol.
2. Exerc. II. tb. 5. Lit. A.

CAPUT III.

Cui & in quem Jus exigendæ Ado- hæ competit.

SUMMARIA.

1. Imponi Adoham ab eo, qui Jus babet servitia exigendi: & si plures ejusdem feudi domini sunt, omnibus adobam prestantam esse. 2. Si domini inter se bella gerunt, antiquiori soli eam prestantam esse; & quis sit antiquior dominus. Casus, ubi utriq. domino invicem bellum gerenti debetur. 3. De delectu, auscultu & remissione. 4. An vasallus a suo vasallo exigere possit et si ipse nondum solverit? Aff. s. Ab iisdem quoque adobam prestatari a quibus servitia: qui quasi per indicem recensentur. 6. An remissa a vasallo Adobâ, bujus quoque Vasallo ea remissa intelligatur.

C 3

§. I.

§. I.

Per pensa jam satis Adohæ quantitate non abs pre & extra ordinem esse putamus de personis agere , inter quas adoha præstatur. Quod caput unica hac regulâ absolvitur; adoham tantum illis & ab illis deberi, quibus & à quibus debentur servitia. Hæc autem inter quos præstentur hic quidem non agimus, ubi de Adoha, non de servitiis tractamus. Pauca tamen quasi per indicem delibabimus. Exigit igitur adoham, qui servitia, scilicet dominus feudi. Si igitur plures ejusdem feudi domini sint, omnibus indistincte solvenda est Adoha , ut omnibus servitia præstanta. 2. *feud. 77.* Nec enim dominus jure suo cadit, & vasallus ab eo ideo liberatur, quia & a lii debet servitia.

§. II.

Sed quæritur, si domini ipsi bello inter se contendant, cui potius Adoham debeat ? Resp. cui servitia; sc antiquiori soli : & si utrique pariter assifat, feloniam in antiquorem committit : quippe qui omni juramento exceptus videtur. Matth. de Affliet. *Rubr. 30. p. 622. n. 1. de prob. feud. alien. per Lotbar.* Dominus autem antiquior æstimatur non ex tempore præsentium vasallorum, sed ratione universi feudi; ut illius feudi dominus præferendus sit, cuius primus acquirens prior investitus est fidelitatemq; juravit, non cuius præsens possessor: ex ea enim fidelitate primi acquirentis simpliciter & nomine excepto jurata, dominus ejusque heredes jus feudi ligii quæsิตum contra omnes habent; quod ipsis afferri à vasallo ejusve posteris acquisitione alterius

DE ADOHA.

23

rius feudi non potest. *l. fin. ff. de Pact. l. 2. §. 16. ff. ne quid in loc. Wesenb. consil. 34. n. 31.* Et, qui praesens vasallus, si jusjur. prior praestit domino noviori, tenebitur ei ad servitia contra alterum dominum, cum antecesores ipsius ad ea non tenerentur: & alias in personis heredum mutaretur substantia obligationis, contra *l. 2. pr. ff. de Verb. obl.* quæ sententia communius recepta est. Hartm. Pift. *l. 2. qu. 47 n. 44. & seqq.* Una tamen exceptio perpetua est, qua utrique domino & scil. noviori per substitutum acceptabilem servire, vel adoham solvere potest: cum scil ad alterum fratreum feudum pervenit, & alter adeo, non credens facile feudum ad se posterosque suos reversurum, aliud feudum ligium sibi quæsivit; quo casu, contra regulam communem, erit duorum vasalium ligius. *2. feud. 99.* Quæ cum magis ad servitiorum materiam pertineat, latius non exequimur.

§. III.

Neque nunc de delectu agemus, quo Germani principes homines ad bellum idoneos e subditis suis eligere possunt, (vulgò der Ausschuss) ut illi principem reliquorum sumtibus sequantur: quod antiquissimum Germaniae institutum est, inde ab Henrico Aucupe usitatum, ut alibi in oppidis quinque cives sextum, in pagis novem coloni decimum, vel septem octavum; alibi vigesimum, vel trigesimum instruant, aliquando media aut tertia pars alicujus loci sequi pro rei necessitate teneatur. vid. Ott. Frising. *in vita Frid. I. L. 1. c. 31.* Illustr. Dn. à Seckend. im Deutschen Fürsten-Staat p. 2. c. 10. tit. 9.

§. V.

An autem adoham exigere vasallus à suo vasallo potest, et si ipse eam nondum solverit domino? Aff non enim subvasallo causa debendi est solutio vasalli, sed proprii feudi propriæque fidelitatis obligatio; ex qua tenetur purè ad adoham, præstandam: *conf. cap. seq.*

§. V.

Sic vice versa præstat adoham, qui & servitia, vid. §. I. Hinc sequitur (1.) Feudo vendito teneri venditorem ad adoham, non emptorem, nisi ex quo domini consensu, secutaque investituræ emptor factus est vasallus. Andr. de Isern, c. un. §. sed nec est alia justior. n. 36. *Quæ sit prim. caus. ben. amit.* (2.) Idemque esse in cæteris alienationibus, ut iis non obstantibus vasallus adoham solvat, donec consensu domini feudum rite in alterum translatum fuerit. Quin, si ante investituram injuncta sit Adoha, etiam post investituram vendor eam debet, quia semel debere cœpit, obligatioque in personam ex impositione nata fuit. Unde &, si quis post impositionem adohæ feudum demum acquisiverit, ad eam non tenetur. Quod utrumque per regiam Cameram ita decisum refert Ayell. d. l. n. 61. 62. 63. Similiter inde sequitur (3.) nec emphyteutam, qui feudum in emphyteusin consensu domini à vasallo accepit, teneri ad Adoham, cum non ipse, sed vasallus fidelitatem & ex ea servitia debeat. Multò minus (4.) Creditor, qui feudum jure pignoris tenet; aut (5.) Fructarius; aut (6.) Vidua, cui dotalitium in feudo constitutum est; nedum (7.) Colonus &c. Ayell. d. l. n. 56. Eadem ratione nec (8.) Apanagiatus

DE ADOHA.

25

tus adoham præstat; cùm non ipse sed primogenitus in feudo, ejusque oneribus succedat. Henr. à Springsfeld de Apanag. c. 11. n. 193. & seqq: Et licet apagnum in feudo constitutum fuerit, non tamen ideo apagniatus hanc adoham domino, sed aliam ipsi primogenito ratione hujus subfeudi, ut vocant, debet. Qvod (9.) idem est in Vasalli vasallo, qui adoham quidem ex sua investitura debet vasallo, sed aliam, & ab ista, quam ipse vasallus domino præstat, quantitate, modo, ac præstandi temporibus diversam: quippe de qua ex solius vasalli, seu posterioris domini necessitatibus statuitur. Ayell. d. l. n. 67.

§. VI.

An autem, si dominus vasallo Adoham remiserit, hic etiamnum à suis vasallis eam exigere potest? Aff. Qvia duo distincta debita, diversæq; causæ sunt; qvarū unā proinde remissa, altera non tollitur^{l. 7. pr. ff. de Cond. furt. l. 1. §. 5. ff. de Verb. obl. l. 20. pr. ff. de Servit. rus. cùm in primis remissiones strictissimi juris sint, l. 29. eod. l. 25. pr. ff. de Probat.} Qvin videtur vasallus solvisse, dum parato solvere dominus remittit, & quasi reddit. Et alias non ipse primo vasallo, cui dominus voluit, sed ejus vasallis Adoha remissa foret contra mentem domini, qui in solum vasallum liberalitatem conferre voluit. Dissentit Matth. de Afflict. l. 3. rubr. 2. §. sed nec est alias. 30. & 31. que sit prim. caus. ben. am. Secus ergo si remissa sit intuitu etiam subvasallorum. Ayell. d. l. n. 60.

CAPUT IV.

De Cætero jure Adohæ.

D

Suma.

SUMMARIA.

1. Quando Adoha debatur? Et quodnam sit justum bellum. 2.
 Quando non soluta Adohæ feudo privatetur vasallus. 3. Cuius electio sit inter servitia, Adoham & substitutum, Vasallum domini? 4. Cuius periculum equo amissio, & feudo interim in alium translato? 5. Quando cesset Adoha?

§. I.

QVÆ reliqua quoque sunt Adohæ Jura, servitiorum, quorum sunt aestimatio, rationem sequuntur. Cum igitur toties servitia debeantur, quoties opus est, ad tuendum dominum, ejusque jura & honorem, 2 F. 5. 6. 7. in eodem casu Adoha debetur, cum in locum servitiorum jure succedunt. Conf. th. Neque tantum tuendo domino, sed & offendendis hostibus domini auxilium debet Vasallus in bello justo 2. F. 7. vers. et si contigerit. Justum autem bellum sit, nec ne, judicium est solius Principis, non vasallorum. Magnificus Dn. Praeses in Lectione colleg. Grot. ad l. 2. c. 25 §. 8. Si autem notoriè injustum est, adeoque latrociniuum potius, nec Vasallus tenetur, 2. F. 28. nec ipsi milites mercenarii, aut subditi, qui tamen naturali vinculo ad defensionem Principis sui operis & opibus obligati sunt. prelaud. Magnificus Dn. Praeses in Praelect. Grot. ad d. l. 2. c. 26. §. 3.

§. II.

Effectus est, quod Adohæ non soluta, sinec Servitia debite praestita sint, Vasallus Feudo privatetur, 2. F. 54. & ss. S. firmiter 1. F. 21. modo ritè interpellatus sit. 2. F. 26. §. licet & 2. F. 28. vers. adbac. Et sufficit unica saltem

Saltem interpellatio, sive illa generalis sit, qvà omnes simul vasalli literis publicis, vulgo patentibus, evocantur sive specialis. 2. F. 7. Si tamen aliunde Vasallus rescriverit, domino magnum periculum imminere, ultro & sponte suâ ei adjutorium præbere debet. 2. F. 26. d. §. licet. Si verò eam fraudet aut diminutè solvat in quadruplum eum alibi teneri referunt Ayell. d. I. n. 52. in fin. Jacob. de Franch. in Pralud. Feud. c. 2. n. 198.

§. III.

Cum igitur vasallus feudum amittere dicatur si vel ipse vocatus servitia non præstiterit, vel substitutum acceptabilem non miserit, vel adoham non solverit, anceps qvæstio magnaqvæ contentio inter Dd. est, cujus sit electio, domini an vasalli? Alii statuunt, domini esse electionem, cui invito aliud pro alio solvi non queat 1. 2. §. 1. ff. si cert. pet. communis autem sententia vasallo electionem tribuit; Jacob. de S. Georg. de Feud. vers. & promiserunt eidem n. 26. pag. 218. Pet Nic. Mozz. de Feud. tit. Ex qvib. caus. Feud. am. n. 109 Jul. Clar. l. 4. §. feudum q. 22. Springsfeld. de. Apanag. c. 11 n. 223. Sed nec hæc sententia satis accurata, nec in genere admittenda videtur. Pro decisione igitur dicimus 1. Non rectè statui obligationem vasalli alternam qvæsi alternativè in obligatione sit, ut vel servitia præstet, vel substitutum mittat, vel adoham solvat; cùm unum tantum sit in obligatione, scil. sola servitia, qvippe quæ sola promittit vasallus. 2. F. 7. & 23. in fin. Constat autem in obligatione, qvæ ex conventione esse, tantum id esse de quo conventum est. arg. 1. 6. §. 1. ff. de Re jud. l. 2. C. de Resc. vend. Adoha igitur non est in obligatione, sed summum in solutione,

D 2

qvæ

quæ é lege est. arg. l. 6. §. 1 ff. de Rejud. l. 2. C. de Resc. vend. quam differentiam latius exposuit Magnificus Dn. Praeses in Disp. Trajecti habita de Elect. rei conventi ex enormi les. sect. 1. tb. 8. & 9. Hinc dicimus 2. electionem plane vasalli esse, eumque posse adoham solvendo à servitio se liberare; quod enim ex lege, seu in solutione est, id totum est in arbitrio debitoris, eique lege tributum, ut is ejus solutione liberare se possit. per text. expr. in d. l. 6. §. 1. d. l. 2. vid. d. Disp. sect. 2. per tot. Non tamen dimidium unius anni redditum dicimus simpliciter in solutione esse, sed integra militiæ stipendia, qvorum saltem subsidiaria aestimatio est semis iste redditum; si forte dominus majora stipendia probare non posset, velonus probandi suspicere nolit. vid. sup. c. 2. §. Perinde ut usuræ quicunces vel semisses ex mora, qvæ quantitas lege definita est in subsidium, si creditor plus suâ intereste, & quasi majus moræ premium, probare nequeat, vel id onus defugiat contentus usuris legalibus. per l. 2. §. ult. in fin. ff. de Eo quod cert. loc. R. I. 1600. §. So viel nun 154. Ita constat, in obligationibus faciendi, qualis est hæc vasalli, rerum non liberari, nisi præstanto omne id qvod interest. l. 72. l. 112. pr. ff. de Verb. obl. l. 13. in fin. ff. de Re jud. Quid integræ militiæ stipendia deberi exerte dicitur in z. F. 54. vid. d. c. 2. Nec movet, qvod in R. I. 1529. §. 16. dicitur; consensu Statuum Imperii ex singulari causa ab Imp constitutum esse, ut portio expeditio- nis Romanæ pecuniâ quidem solvatur. Ex eo enim patet, Cæsaris electionem non esse, sed reqviri consernum Statuum; at hic de electione vasallorum agimus. Evidem qvorundam servitorum ea est natura, ut redimi

redimi precio non possint, uti officia exequias ducendi &c. Dicimus; è contrario, domini esse electio-
nem haec tenus, ut non teneatur qvemvis substitutum
admittere, sed sibi acceptabilem; alias enim pluri-
mum interest; Vasallus, qvi servitia debet, beneficio
perpetuo est obstrictus, jurej. illigatus, ac è familia
ortus, qvam dominus idoneam militiae creditit: non
igitur satisfit obligationi feudal, si ejus loco qvilibet
extraneus mittatur. Atqve hinc semper reqviritur,
ut substitutus sit domino acceptabilis, 2. F. ss. §. 1. verb.
vel alium pro se domino acceptabilem mittere &c. 2. F. 99.
in fin.

§. IV.

Ceterum eqvus, qvem vasallus cum substituto mi-
sit, perit vasallo, ceu domino, l. 9. C. de Pign. att. nec enim
casus bellicos Principes vel domini præstant: ut & sen-
tiunt Rosenth. de Feud. c. 8. concl. 22. Coler. Decis. 81.
etsi aliud Jure Saxonico obtineat. Lehn. c. 4. §. fin. Co-
ller. d. 1. Sed valde ambiguum videtur, si feudum in ali-
um Vasallum interim translatum, & v. gr. alii venditū
sit, cui eqvus redeat vel pereat? Resp. Priori Vasal-
lo seu vendori, qvi misit; is enim ejus dominus est &
manet, & cùm tempus impositionis inspiciatur, posse-
rior nec servitia, nec adoham debet, qvæ ante impo-
sita sunt; per tradita c. 3. tb. Igitur Venditoris nomi-
ne substitutus militat, eiqve eqvus vel reddit vel perit;
& ab eo reparatur, si defecit, servitium: Atque ita
respondit superiore anno Ampl. Fac. Jur. hujus Uni-
versitatis. At si iterum, factâ jam translatione feudi,
Vasalli citentur ad servitia, vel nova exigatur Adoha,
empor

30 DISPUTATIO JURIDICA DE ADOHA.
emperior ea præstat ; atque adeò vendor ab omni o-
nere sumtuque in bellum liberatus est.

§. V.

Denique cessat Adoha, qvoties servitia non de-
bentur : uti in Feudo franco , & plurimis aliis modis:
qui tractatus cùm ad servitiorum materiam pertineat
longèque prolixior instituto nostro sit ; neqve hic de
servitiis, ut supra testati sumus, sed de Adoha, & qvæ
ei propria sunt agere propositum, sit, de eo nihil nunc
addimus.

COROLLARIA.

I.

IN Statu primævo nulla fuit Successio ;
sed ea meritò surrogata est Jure Gen-
tium in locum juris occupandi res nulli-
us : Collateralium & ascendentium suc-
cessio est juris positivi.

II. Hoc Jus acquiritur liberis in ipso mo-
mento nativitatis, quamvis facultas illud
exercendi suspendatur in tempus mortis
parentum.

III. Primogenitus præfertur fratribus,
et si

5
et si extra regiam dignitatem natus, aut
per subseqvens matrimonium legitimata-
tus sit.

IV. Potest summa potestas hoste præ-
ventu locum pacatum occupare, nec fi-
nito bello regulariter restituere tenetur.

V. Rex Romanorum neqve mortuo
Imperatore, neque eo absente, nisi hic
vices suas ei specialiter commiserit, est Vi-
carius Imperii.

VI. Electores ecclesiastici, et si nondum
inaugurati; & seculares, licet nondum in-
vestiti, ad Electionem Regis Romani vo-
cari debent.




gab zu sich lebendigster Ruh und Ruhe
der Seele nach dem Tod des Körpers.
VII. Und so ist es mit dem Tod des Körpers.
Auch wenn der Körper tot ist, kann die Seele
noch leben, und das ist ein wunderliches
Wesen. Und so ist es mit dem Tod des Körpers.
VIII. Und so ist es mit dem Tod des Körpers.
Auch wenn der Körper tot ist, kann die Seele
noch leben, und das ist ein wunderliches
Wesen. Und so ist es mit dem Tod des Körpers.



(X2617990)

WON



1727
1690
469
1692, 16

IRIS FEUDALIS,
e

D H A,

Reise-Geld/
lösung/

uam

NTE GRATIA,
S I D E

I R O
onfultissimo atq; Excellentissimo

O COCCEJO,
GERATISSIMO,
ectoris Brandenb. Consiliario,
rio, & Professore Primario,

Florialis Palatini Consiliario, & Su-
n Alma Heidelb. Decretal. Pandectar.
P. Ordinario meritissimo,

10 JC TORUM
i, A. MDC XCII.
n Examini submittet

ST. DE BECKER,
phalus, A. & R.

adrum, An. 1699.